



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xlii. De arbitris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

Certè si etiam alicui ecclesiæ beneficium hoc <sup>10. Beneficio.</sup> semel in vno iudicio denegatum erit, restitutio, præterquam si adpellare obmiserit, aut nouas defensiones habeat, denegator.

*De alienatione iudicij mutandi causa facta. Tit. 41.*

**N**EMINI ad aduersarii grauamen potentiorum <sup>2. Ex parte.</sup> auxilium aduocare licet. qui secus factum exit, iacturam causæ subito. Quæ per iudicium seculare dirimundæ erunt quæstiones, clerici ut ad suum forum trahant aduersarios, precio, dono, munere sibi cessas earum actiones ne recipiunt. cessiones & emptiones litium cessant.

Contra quos commissio litterarum erunt ab apostolica sede obtentæ, neque si antequam citentur adpellasint, neque si possessionem de qua controuersia erit commutassint, neque si se absentassint, mādatum euacuator. qui se in possessione ingressint, sub datorum iudicum examine iuris æquitati parere coguntur. <sup>1. Ex quorundam.</sup>

*De arbitris. Tit. 42.*

**D**E iudicum officio & potestate hæctenus, nunc arbitratorum iura tractantur.

Quos inter causa erit, ex communi placito arbitros aut vnum aut tres elegunt. si tres erunt; aut omnium aut duum sententiam sequuntur. <sup>1. Sanc.</sup>

Huiusmodi autem compromissum de incerta <sup>12. Innouit.</sup> persona in arbitrum adsumenda ne teneto. Id-



## De Arbitris.

circo super qua causa in duos nominatim compromissum sic erit, ut discordantibus ipsis iudices eiusdem causae tertium nominent: neque si iudices ipsi partes ad arbitrium obseruandum cogendi potestatem sibi retineant, alterius arbitratorum cum electo arbitrium seruari faciunt. si facient: prouocatio esto. si post excommunicati sint: excommunicationis sententia nulla esto.

11. *Cum à nobis.* Si tamen alicuius, in quem expressè compromissum fiet, vel duum mediatorum, quos deputabit, arbitrio, sub certa poena precise pareri promissum erit: quod per mediatores ab ipso deputatos erit actum confirmator.

4. *Dilectis.* Porro foeminae, quanquam summæ opinionis, si arbitrium in se suscepserint, si patronæ inter libertos audientiam suam interposuerint, ab omni iudiciali examine separantur. ex earum promotione nulla poena aduersus contemptores, nulla pacti exceptio habetur. à publicis officiis remotæ sunt. sicubi tamen consuetudo adprobata pro lege seruabitur, & talis erit, ut præcellentes foeminae in subditos suos ordinariam iurisdictionem habeant: compromissum in ipsas factum ratum esto. Quam arbitrii sententiam ferent per poenam in eo adpositam seruatur. Hoc in temporalibus quoque ecclesiæ bonis, de quibus in ipsas compromissum fiet, ius esto.

8. *Continuit.* Alioquin super spiritualibus in laicam personam ne compromittitur. Laicus in his ne arbitrator.

9. *Per tuas.* A duobus tamen laicis & vno clerico autho-



ritate iudicis delegati ac de ipsius adfensu electis quod super delegata ipsi causa quanuis spiritali feretur arbitrium seruatur. Si quis procurator sine speciali mādato compromittet: postquam ex parte domini receptum erit arbitrium, ratum habetor, exequutioni mandator, alioquin si non recepfit, & pœna compromisso erit adposita: ad eam agitor. si nulla, sed simpliciter sententiæ stari compromissum erit: procurator ad interesse conuenitor, iuramēto suo personaliter, non dominus, obligatus esto.

Sed & compromissum in compromittentis hæredes, ni de ipsis cauebitur, ne extenditor. 14. Compromissum.

Item alterius compromittentium morte finitor. Si tamen elegantium votis in duos diuisis, coram superiore de electionis duorum iure tractari ceptum erit, & in ipsum compromissum: eorum altero mortuo nihilominus ordinaria auctoritate de electionis meritis cognoscitor: ante ad aliam ne proceditor. 10. Ex parte.

Ceterum locorum ordinarij de arbitrio, quod super ecclesiastico beneficio latum erit, cognoscuto. Id si æquitate subnixum noscent: ad obseruantiam ipsius partes compellunt. si quid nequiter ac perperam arbitratum erit, si simoniæ prauitate alterum pecunia mediante beneficio cedere statutum fiet: id inconrectum ne reliquunt. eos qui iurassint ab obseruantia iuramenti absoluunt. 2. Non sine.

Sic & arbitrium quod contra libertatem ecclesiæ ad ius & proprietatem Romanæ ecclesiæ pertinentis ex eiusdem ecclesiæ rectoris com- 5. Cum tēpore.



## De Arbitris.

promisso latum erit, inualidum esto. privilegiis vel indulgentiis libertatis huiusmodi rector ecclesie sine licentia Ro. pont. renūciare nequito.

3. *Peruenit.*

Eadem ratione si clericus cum laico super pecuniaria compromittet, & ecclesie ipsius perniciosum imposterum feretur arbitrium, ut si decumæ eius concedentur: nullum esto. nemo hoc prætextu res ecclesie vendicato.

II. *Exposita.*

Insuper cuius discordie arbiter quis sumptus erit, neque si principis literas accepit, ut ad componendum laboret inter partes, sententiam alias inter ipsas latam immutare, neque sopitas per eam querimonias suscitare licere putato. Quod contra sententiam latam faxit in irritum reuocator. qui obsides compromissi dati erunt restituntur.

6. *Cum dilectus.*

Arbitri enim de iis tantum, super quibus in eos compromissum erit, cognoscunt. unde coram ipsis (licet in iudicio secus) conuento reuocari ne licet.

7. *Cum olim.*

Si super elegundo rectore hospitali controuersia arbitrio ita dirempta fiet, ut super eo inueniundo quis cum familia hospitalis tractare, etiamque consilium habere debeat: nisi id faxit, eligendi potestatem ne habeto. si alio modo eleget: electio irrita esto. At verò consilio & tractatu habito, etsi cum eo discordasset familia, liberè rectorem elegito.

PRIMI LIBRI

FINIS.